

III. *Taeniura Knerii* Molin, nov. sp.

*Pesce viola*; Volta: in Ittiol. veron. Tab. IX, Fig. 2. — *Trygon brevicauda* Catullo: in Cat. man. Mus. e. Archyg. patav. Heckel(?): in Sitzungsber. d. k. Akad. d. Wissensch., 1851, VII. Bd., 2. Hft., S. 324—325.

Historica. In collectione *Castellini*, nunc in Museo e. Universitatis patavinae servata specimen duplex Rajidi magnitudinis abnormis observatur. Heckel asseverat se specimina identica compluria in Museis comitum *Canossa* et *Gazola* vidisse. In *Ichthyologia veronensi* clarissimi *Voltae* in icone IX, Fig. 2, fragmentum caudae hujus piscis effietum offendimus. Specimen musei patavini caudam deflexam sed abruptam ostendit. *Catullo* putavit hunc piscem *Trygonem* esse, caudamque brevem ejus characterem specificum efficere, illique nomen posuit *Trygon brevicauda*. Heckel museum Archigymnasii patavini inspiciens cito non caudam brevem, sed truncatam piscem possidere agnovit, et suspicatus est, etsi haud certe adfirmet, nonne *Trygon brevicauda* Catulli *Taeniurae* species fossilis sit.

Investigationes. Ichthyologus vindobonensis in inspectione individui oblitus est structuram brevis portionis caudae, aculeo subsequentis et dentes perpendere. Hos forsitan nec vidit quidem, quum eos in loco supra citato silentio praetereat. Priusquam de hoc pisce breves ab Heckelio notitias editas legissem, summopere dubitavi eum re vera *Trygonem* esse, quum hujus generis species mare mediterraneum praecipue inhabitent, et fauna boleana faunis marium tropicalium potius respondeat. Si autem memini, quae de genere *Taeniura* *Müllerius* et *Henleus* dixere, hoc nempe disco rotundato, cauda pinna inferiori elevata, aculeo ante medietatem inserto postposita, ad apicem usque caudalem protracta praedita, dentibusque aculeatis vel carinatis distinctum esse, atque in specimine musei patavini pinnas thoracicas radiis suis cranii marginem anteriorem amplectentes, discum obovatum, dentes clipeato-cuspidatos, minimos, aculeum ad caudae originem insidentem, et huic postposita vestigia radiorum pinnae inferioris offendam; cur incertus fuerim, ne profecto in hac de *Taeniura* ageretur? Aculeum enim videmus ad caudae originem insertum, pinnas abdominales parvulas, rotundatas, sicuti in imagine *Taeniurae Meyeni*, radios complures continuo pone aculei insertionem caudae suppositi, qui praesentiam pinnae pristinae revelant, et dentes aculeatos minimos illis